



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. Qualitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

giam operam Turcæ nauant in bellis. Hic multi nobiles, quos Vaiuoda habet ad manum. Seditiosi habentur, & in Principem parum fideles. Eodem modo cum Valachis vxores tractant, quibuscum & ritu Græco, & idiomate concinunt. In eo autem multæ voces Italicæ arguunt eos origine Italos esse, vt diximus in Valachia nomine.

NVM. 4. *Politia.*

VAIVODA se Regem Moldauia nominat, & olim pendebat ab Hungaro, à quo cõfirmabatur selectus à Moldauis. Nunc ad Turcas transit cui tributum nomine pensitat ferè 200. librarum Francicarum millia, cum 500. equis pulcherrimis, & 300. falconibus selectis. Olim Princeps armabat 60. equitum millia, hodie vix 20. urgente tamen bello 50. millia posset educere. Filius siue legitimus, siue nothus succedit patri, & primùm natus signatur candente ferro. Bassa Moncastrensis, vulgò *de Bialogrod*, prouidet ne prouinciæ illæ rebellent, quasi Cosakorum metu, ideóque sibi conficit 100. Sultanorum millia, verbo in regionis tutelam, reuerã in Turcicam rapinam.

§. 10. *De Bessarabia.*

NVM. 1. *Nomen.*

VNDÈ extiterit vox illa incertum: nisi à Bessis, qui huc immigrarunt. Certè eò peruasisse Arabas suspicamur ex Bulgarorum factò cuius meminimus in Moribus Bulgarorù. Eam quoque apud Calcondylam dici Istriam non improbabiler aliqui suspicantur.

NVM. 2. *Qualitas.*

REGIO hæc fertilissima, in quâ nihil deesset, etiam ad vitæ delicias, nisi in eâ Tartari degerent, hanc Cosaki infestarent, hostes & hospites ex æquo metuendi.

NVM. 3. *Mores.*

HIC Tartari viuunt more suo, hoc est lacte, & carne equorum suorum. Aspectu terribiles sunt, & iis sæpe vitur Turca non tam ad pugnandum, quàm ad inferendam in hosticum vastitatem; & ad augendum terrorem, hos vocat Præcopitas.